

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Auaricia ak
cum uariis

Auarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo seruat. Quere a quouis eorum quo insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de hiis sentiant qui sua uendentes et pauperibus dantes, regna celorum pro terrena mercantur substancia sapienter agant necne? Proculdubio respondit: sapienter. Quere iterum, cur quod approbat ipse non facit? Non possum, inquit, quare? Profecto quia domina auaricia non permittit, quia liber non est, quia non sua sunt que possidere uidetur, sed nec ipse sui iuris est; si uere tua sunt expende ad lucra et pro terrenis celestia commutato; si non uales, scias te pecunie non dominum esse sed seruum, custodem non possessorem.

Bernardus super Cantica sermone XX.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Auaricia ak] Auaricia al P V¹ V² L¹ L²; quo] qui L¹ L²; mercantur] merentur B; agant] agat L¹ L²; respondit] respondet P V¹ V² L¹ L²